

## CD 1

### *Advent- en Kersttijd:*

#### **1. Iam lucis orto sidere**

Iam lucis orto sidere,  
Deum precemur supplices,  
Ut in diurnis actibus,  
Nos servet a nocentibus.

Linguam refrænans temperet,  
Ne litis horror insonet :  
Visum fovendo contegat,  
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,  
Absistat et vecordia :  
Carnis terat superbiam  
Potus cibique parcitas.

Ut cum dies abscesserit,  
Noctemque sors reduxerit,  
Mundi per abstinentiam  
Ipsi canamus gloriam.

Deo Patri sit Gloria,  
Eiusque soli Filio,  
Cum Spiritu Paraclito,  
Nunc et per omne saeculum. Amen.

#### **2. O Antifoon 17 december**

**O Sapientia**, quae ex ore Altissimi prodisti, attingens a fine usque ad finem, fortiter suaviter disponensque omnia : Veni ad docendum nos viam prudentiae

#### **3. Intende qui regis Israel (ca. A.D. 350)**

Intende, qui regis Israel,  
super Cherubim qui sedes,  
appar(e) Ephrem cor(am), excita  
potentiam tu(am) et veni.

Veni, redemptor gentium,  
ostende partum virginis,  
miretur omne saeculum,  
talis decet partus Deum.

Non ex virili semine,  
sed mystico spiramine  
verbum Dei factum (est) caro  
fructusque ventris floruit.

Alvus tumescit virginis,  
claustrum pudoris permanet,  
vexilla virtutum micant,  
versatur in templo Deus.

Aequalis aeterno patri,  
carnis tropaeo cingere,  
infirmi nostri corporis  
virtute firmans perpeti.

Praesepe iam fulget tuum  
lumenque nox spirat suum,  
quod nulla nox interpolet  
fideque iugi luceat. Amen.

#### **4. O Antifoon 18 december**

**O Adonai**, qui Moysi in igne flammae rubi apparuisti, et ei in Sina legem dedisti :  
Veni ad redimendum nos in brachio extento

#### **5. Gaudeat ecclesia (Moosburger Graduale)**

Gaudeat ecclesia, inventa est centesima  
ovis olim perdita, sive drachma decima.  
Refrain: Eya et eya, regia egregia gaudeat ecclesia.

Venit sol iusticie, redemptor rex milicie,  
nuncius leticie, finis est mesticie.  
Refrain:

Visitat exilium celestis rex humilium,  
dum rosa parit lylum, Maria dei filium.  
Refrain:

Editus est hodie rex eterne glorie  
ex utero Marie, David victor Golye.  
Refrain:

Dum virgo deum genuit, Tartarus contremuit,  
quos captivos tenuit, perditurus gemuit.  
Refrain:

#### **6. O Antifoon 19 december**

**O Radix Jesse**, qui stas in signum populorum, super quem continebunt reges os suum, quem  
gentes deprecabuntur : Veni ad liberandum nos, iam noli tardare.

## 7. Resultet plebs fidelis (Moosburger Graduale)

Resultet plebs fidelis plaudat canticis organicis  
ad laudem creatoris. O pium est cum plausu mistico.

Refrain: Plaudimus et psallimus ad laudem creatoris,  
O pium est cum plausu mistico.

Qui cum sit excelsus altos subiicit et deicit  
et parvulos subegit. O pium est cum plausu mistico.

Refrain:

Qui zabulon confregit fortem forcius fortissimus  
et eius vasa fregit. O pium est cum plausu mistico.

Refrain:

Qui per delictum Ade morti deditos et subditos  
a morte liberavit. O pium est cum plausu mistico.

Refrain:

Qui saucium respexit, cuius vulnera mortifera  
contractans alligavit. O pium est cum plausu mistico.

Refrain:

Ergo benedicamus corde, cantico et animo  
et gracias agamus. O pium est cum plausu mistico.

Refrain:

## 8. O Antifoon 20 december

O Clavis David, et sceptrum domus Israel : qui aperis, et nemo claudit, claudis et nemo aperit :  
Veni et educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris et umbra mortis.

## 9. Dies ista colitur (Moosburger Graduale)

### *Nominativus*

*Dies* ista colitur, pange symphoniam,  
iam puer qui nascitur iuxta prophetiam  
ut gygas egreditur ad currendam viam.

Refrain: Felix est egressio, per quam fit salvatio.

### *Genitivus*

*Diei* festivitas huius celebretur,  
ut prudens simplicitas bonum operetur  
et non cesset karitas in quo comitetur.

Refrain: Felix est egressio, per quam fit salvatio.

### *Dativus*

*Diei* det gloriam homo iam renatus.  
Qui per negligenciam olim exulatus  
per misericordiam redit liberatus.

Refrain: Felix est egressio, per quam fit salvatio.

### *Accusativus*

Diem hunc leticie fecit ipse deus,  
dono cuius gracie reparatur reus,  
dum ad donum vidue redit helyseus.  
Refrain: Felix est egressio, per quam fit salvatio.

### *Vocativus*

*Dies* o quam celebris et quam ammiranda,  
lux lucens in tenebris, lux glorificanda,  
per quam umbra funeris nobis est vitanda.  
Refrain: Felix est egressio, per quam fit salvatio.

### *Ablativus*

*Die* ista splenduit lumen illud clarum,  
quod olim intonuit voce prophetarum.  
Eius splendor diluit noctem tenebrarum  
Refrain: Felix est egressio, per quam fit salvatio.

### **10. O Antifoon 21 december**

**O Oriens**, splendor lucis aeternae, et sol iustitiae: Veni et illumina sedentes in tenebris et umbra mortis.

### **11. Verbum patris humanatur (Moosburger Graduale)**

Verbum patris humanatur o, o, dum puella salutatur o, o,  
salutata fecundatur viri nescia.  
Refrain: ey, ey, eya nova gaudia.

Novus modus geniture o, o, sed excedens vis nature o, o,  
dum unitur creature creans omnia.  
Refrain:

Audi partum preter morem o, o, virgo parit salvatorem o, o,  
creatura creatorem patrem filia.  
Refrain:

In parente salvatoris o, o, non est parens nostri moris o, o,  
virgo parit nec pudoris marcent lilia.  
Refrain:

Homo deus nobis datur o, o, datus nobis demonstratur o, o,  
dum pax terris nunciatur celis gloria.  
Refrain:

### **12. O Antifoon 22 december**

**O Rex gentium**, et desideratus earum, lapis quae anguris, qui facis utraque unum :  
Veni et salva hominem, quem de limo formasti.

**13. Dulces laudes tympano, Sint Stephanus 26 december (Moosburger Graduale)**

Dulces laudes tympano aut melodis organo  
referentes domino gratulemus Stephano.

Refrain: A et e, o et i, mira virtus Stephani.

Quem cum vellet vincere lex devota sathane,  
eius sapientie nequivit resistere.

Refrain:

Qui virtute maxima, plenus dei gracia,  
signa et prodigia faciebat plurima.

Refrain:

A Judeis Stephanus lapidatur optimus,  
qui pro se torquentibus flexis orat genibus.

Refrain:

Ergo laudes domino dicamus cum Stephano,  
et nos omnes gracias dicamus innumeras.

Refrain:

**14. O Antifoon 13 december**

O Emmanuel, Rex et legifer noster, expectatio gentium, et Salvator earum :  
Veni ad salvandum nos Domine Deus noster.

**15. Ecce iam celebria, Onnozele Kinderen 28 december (Moosburger Graduale)**

Ecce iam celebria  
Redeunt sollempnia  
quibus dei unicus  
natus est humanitus  
absque viri semine  
ex illibata virgine.

R. Domini nativitas iure nostri est iocunditas.

Pro cuius invidia  
herodis sevicia  
sunt infantum plurima  
trucidata milia  
quos divina gracia  
celi duxit ad palacia.

R. Domini nativitas iure nostri est iocunditas.

Ergo vos o socii  
non est tempus ocii  
summa cum leticia  
christi natalicia  
celebrantes pariter  
iubilemus unanimiter.

R. Domini nativitas iure nostri est iocunditas.

Et tu lector inclite  
iube domne incipe  
laudem hic in parvulis  
qui emerunt iugulis  
ut transirent (ad) gloriam  
terrenam per victoriam.  
R. Domini nativitas iure nostri est iocunditas.

**16. Nostri festi gaudium, 1 januari Besnijdenis des Heren Instrumentaal  
(Moosburger Graduale)**

***Passietijd:***

**17. Ubi caritas et amor, Witte Donderdag**

Ubi caritas et amor Deus ibi est  
Congregavit nos in unum Christi amor.  
Exultemus, et in ipso iucundemur.  
Timeamus et amemus Deum vivum.  
Et ex corde diligamus nos sincere.

Ubi caritas et amor Deus ibi est.  
Simul ergo cum in unum congregamur.  
Ne nos mente dividamur caveamus.  
Cessent iurgia maligna, cessent lites.  
Et in medio nostri sit Christus Deus.

Ubi caritas et amor Deus ibi est.  
Simil quoque cum beatis videamus.  
Glorianter vultum tuum, Christe Deus.  
Gaudium, quod est immensum, atque probum.  
Saecula per infinita saeculorum. Amen.

**18. Popule meus, Goede Vrijdag**

Popule meus, quid feci tibi?  
Aut in quo constrictavi te?  
Responde mihi.  
Quia eduxi te de terra Aegypti;  
parasti Crucem Salvatori tuo.

Hagios o Theos. Sanctus Deus.  
Hagios Ischyros. Sanctus Fortis.  
Hagios Athanatos, eleison hymas.  
Sanctus Immortalis, miserere nobis.

Quia eduxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te,  
Et introduxi in terram satis optimam : parasti Crucem Salvatori tuo.

Hagios o Theos. Sanctus Deus.  
Hagios Ischyros. Sanctus Fortis.  
Hagios Athanatos, eleison hymas.  
Sanctus Immortalis, miserere nobis.

Ego propter te flagellavi Aegyptum cum primogenitis suis:  
Et tu me flagellatum tradidisti.  
Ego te eduxi de Aegypto, demerso Pharaone in Mare Rubrum :  
Et tu me tradidisti principibus sacerdotum.

Popule meus, quid feci tibi?  
Aut in quo constrictavi te?  
Responde mihi.

### ***Paas- en Pinkstertijd:***

#### **19. Exsultet, Paaswake**

Exsultet iam angelica turba caelorum :  
Exsultent divina mysteria :  
et pro tanti Regis victoria tuba insonet salutaris.  
Gaudeat et tellus tantis irradiata fulgoribus :  
et aeterni Regis splendore illustrata.  
Totius orbis se sentiat amisisse caliginem.  
Laetetur et mater Ecclesia, tanti luminis adornata fulgoribus :  
et magnis populorum vocibus haec aula resultet.  
Quapropter astantes vos, fratres carissimi,  
ad tam miram huius sancti luminis claritatem,  
una mecum, quaeso, Deo omnipotentis misericordiam invocate.  
Ut qui me non meis meritis intra Levitarum numerum dignatus est aggregare,  
luminis sui claritatem infundens,  
cerei huius laudem implere perficiat.  
Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium suum, qui cum eo vivit et regnat in unitate  
Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.  
Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus  
Domino Deo nostro. Dignum en justum est.  
Vere dignum et justum est invisibilem Deum patrem omnipotentem Filiumque eius  
unigenitum Dominum nostrum Iesum Christum, toto cordis ac mentis affect et vocis ministerio  
personare, qui pro nobis aeterno Patri Adae debitum solvit: et veteris piaculi cautionem pio  
cruore detersit.....

#### **20. Christus vicit resurgendo (Moosburger Graduale)**

Christus vicit resurgendo sevum hostem deprimendo  
Refr. I: Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia.

Quasi leo in triduo, vivus redit de tumulo  
Refr.II: Alleluia, alleluia ey surrexit rex glorie, alleluia, alleluia.

In hoc paschali gaudio benedicamus domino  
Refr.: III Deo dicamus gratias alleluia, alleluia.

**21. Veni Sancte Spiritus, Pinksteren**

Veni Sancte Spiritus, et emitte caelitus, lucis tuae radium.

Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrigerium.

In labore requies, In aestu temperies, In fletu solatium.

O lux beatissima, reple cordis intima, tuorum fidelium.

Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium.

Da tuis fidelibus, In te confidentibus, sacrum septenarium.

Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium.

Amen. Alleluia.

**22. Nunc Sancte nobis Spiritus, Pinksteren**

Nunc Sancte nobis Spiritus,

Unum Patri cum Filio,

Dignare promptus ingeri

Nostro refusus pectori.

Os, lingua, mens, sensus vigor,

Confessionem personent :

Flammescat igne caritas,

Accendat ardor proximos.

Praesta, Pater Piissime,

Patrique compar Unice,

Cum Spiritu Paraclito,

Regnans per omne saeculum. Amen.

**23. Pange Lingua, Sacramentsdag**

Pange lingua gloriosi

Corporis mysterium,

Sanguinisque pretiosum,

Quem in mundi pretium

Fructus ventris generosi

Rex effudit gentium.

Tantum ergo Sacramentum

Veneremur cernui:

Et antiquum documentum

Novo cedat ritui :

Praestet fides supplementum

Sensuum defectui.



Genitori, Genitoque  
Laus et jubilatio,  
Salus, honor, virtus quoque  
Sit et benedictio :  
Procedenti ab utroque  
Compar sit laudatio.  
Amen.

**24. Ave Verum, Sacrament**

Ave verum, Corpus natum de Maria Virgine :  
Vere passum, immolatum, in cruce pro homine :  
Cuius latus perforatum fluxit aqua et sanguine.  
Esto nobis praegustatum mortis in examine.  
O Jesu dulcis! O Jesu pie! O Jesu fili Mariae.

*Uit de Codex Calixtinus:*

**25. Dum pater familias, St. Iacobus Maior Cancion de los peregrinos flamencos Santiago de Compostella**

Dum pater familias  
rex universorum  
donaret provincias  
ius apostolorum  
Iacobus Yspanias  
lux illustrat morum

*Primus ex apostolis  
martir Ierosolimis  
Iacobus egregio  
sacer est martyrio*

Iacobi Gallecia  
opem rogat piam  
plebe cuius Gloria  
dat insignem viam  
ut precum frequentia  
cantet melodiam:  
"Herru Sanctiagu!  
Grot Sanctiagu!  
e ultreya e suseya  
Deus adiuva nos."

*Primus ex apostolis  
martir Ierosolimis  
Iacobus egregio  
sacer est martyrio*

O Beate Iacobe  
virtus nostra vere  
nobis hostes remove  
tuos et tuere  
ac devotis adhibe  
nos tibi placere

*Primus ex apostolis  
martir Ierosolimis  
Iacobus egregio  
sacer est martyrio.*

Iacobo propicio  
veniam speremus  
et quas ex obsequio  
merito debemus  
patri tam eximio  
digno laudes demus  
"Herru Sanctiagu!  
Grot Sanctiagu!  
e ultreya a suseya  
Deus adiuva nos."

*Primus ex apostolis  
martir Ierosolimis  
Iacobus egregio  
sacer est martyrio.*

## CD 2

### *Vesperantifonen van Sint Franciscus (ca. A.D. 1250):*

#### **1. Antifoon 1**

Franciscus vir catholicus et totus apostolicus, Ecclesie teneri fidem romane docuit.  
Presbiterosque monuit pre cunctis revereri.

#### **2. Antifoon 2**

Cepit sub Innocentio cursumque sub Honorio perfecit gloriosum. Succedens his Gregorius  
magnificavit amplius miraculis famosum.

#### **3. Antifoon 3**

Hunc sanctus preelegerat in patrem, quando preerat Ecclesie minori. Hunc spiritu prophético  
previsum apostolicus predixerat honori.

#### **4. Antifoon 4**

Franciscus evangelicum nec apicem vel unicum transgreditur nec iota. Nil iugo Christi suavius,  
huic onere nil levius in huius vite rota.

## 5. Antifoon 5

Hic creaturis imperat, qui nutui subiecerat se totum creatoris. Quicquid in rebus reperit delectamenti, regerit in gloriam factoris.

### *Maria gezangen:*

## 6. Ave Maria

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui, Jesus.  
Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostrae, Amen.

## 7. Alma Redemptoris Mater

Alma Redemptoris Mater, quae pervia caeli porta manes, et stella maris succurre cadenti surgere qui curat populo : Tu quae genuisti, natura mirante, tuum sanctum Genitorem : Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore sumens illud Ave, peccatorum miserere.

## 8. Ave Regina caelorum

Ave Regina caelorum, ave Domina Angelorum : salve radix, salve porta, ex qua mundo lux est orta: Gaude Virgo gloriosa, super omnes speciosa : Vale, o valde decora, et pro nobis Christum exora.

## 9. Regina caeli

Regina caeli laetare, alleluia: Quia quem meruisti portare, alleluia:  
Resurrexit, sicut dixit, alleluia. Ora pro nobis Deum, alleluia.

## 10. Salve Regina

Mater misericordiae. Vita dulcedo, et spes nostra, salve. Ad te clamamus, exsules filii Hevae. Ad te suspiramus, gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

## 11. Sub tuum praesidium

Sub tuum praesidium confugimus sancta Dei Genitrix : nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus : sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

### *Uit het Moosburger Graduale:*

## 12. Florizet vox dulcisonans

Florizet vox dulcisonans,  
Regine poli iubilans,  
Marie laude rutilans,  
Fervoris melos intonans.

Refr. 1: Maria, pelle noxia,  
Maria, reos adiuva,  
Maria, nos illummonne,  
Maria, regem coeli da.

Refr. 2: Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia,  
Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia,

Haec castitatis candens flos,  
Haec deitatis pregnans dos,  
Hanc prophetarum colit os,  
Hanc graciaram unxit ros.

Refr. 1 en 2.

Ergo decenti gaudio  
Psallentes in tripudio  
Iesu, Mariae filio,  
Benedicamus Domino.

Refr. 1: Deo dicamus gracias,  
Maria, reos adiuva, etc.

Refr. 2:

### 13. Nove lucis hodie

Nove lucis hodie iubar innovatur,  
iubilans in facie lux illuminatur,  
virgo fecundatur prole sapientie,  
cui vox laetie digne ministratur.

R. Apparuit, apparuit,  
quem virgo pia genuit Maria.

Aulam rex ingreditur digne mansionis,  
porta firme clauditur clave salomonis,  
exultationis mundo fax incenditur,  
ardens nec conburitur rubus visionis.

R. Apparuit, ....

Iam de gemma claruit, nobilis scintilla,  
regem coeli genuit humilis ancilla,  
cuius ex mamilla lac lactantis profluit,  
regem coeli genuit, o quam felix illa.

R. Apparuit, ....

### 14. Procedentem Sponsum, In nativitate domini ad vespervas benedicamus

Procedentem sponsum de thalamo.

Quem progressum divina gracia.

Ergo benedicamus domino.

Deo dicamus gracias.

### 15. Kyrie In summo festo pentecostis, Pinksteren

Kyrie, magne deus potencie liberator hominis transgressoris mandati, eleison.

Kyrie, mirifice qui carnem pro ovibus perditis assumpsisti humanam, eleison.

Kyrie, magnifice qui natum de virgine misisti redimere nos pie, eleison.

Christe, spes misericordie veritas pax et vita, eleison.  
Christe, fili matris unice lux apparens in luce, eleison.  
Christe, summi patris genite nostra salus et vita, eleison.

Kyrie, homo natus Emanuel hoc exarat quod Adam primus homo corruit, eleison.  
Kyrie, in Jordane qui baptizato rege apparens in specie columbe, eleison.  
Kyrie, qui resurgens ad caelos ascendisti spiritum discipulis misisti, eleison.

***Uit het Llibre Vermell de Montserrat:***

**16. O Virgo splendens**

O Virgo splendens hic in monte celso  
Miraculis serrato fulgentibus ubique,  
Quem fideles conscendunt universi.  
Eya, pietatis oculo placato,  
Cerne ligatos fune peccatorum  
Ne infernorum ictibus graventur,  
Sed cum beatis tua prece vocentur.

**17. Stella splendens**

Stella splendens in monte  
Ut solis radium  
Miraculis serrato,  
Exaudi populum.

**1. Concurrunt universi**

Gaudentes populi,  
Divites et egeni  
Grandes et parvuli,  
Ipsam ingrediuntur,  
Ut cernunt oculi,  
Et inde revertuntur  
Gratiis repleti.  
Refr.: Stella ....

**5. Reginae, comitissae,**

Illustres dominae,  
Potentes et ancillae,  
Iuvenes parvulae,  
Virgines et antiquae  
Pariter viduae  
Conscendunt et hunc montem  
Et religiosae.  
Refr.: Stella ....

**7. Cuncti ergo precantes**

Sexus utriusque  
Mentes nostras mundantes  
Oremus devote

Virginem gloriosam,  
Matrem clementiae,  
In coelis gratiosam  
Sentiamus vere.  
Refr.: Stella ....

### 18. Laudemus en Splendens

Laudemus virginem, Mater est et eius Filius Iesus est.  
Plangamus scelera Acriter, sperantes In Iesu Iugiter.

### Splendens ceptigera

Splendens ceptigera, nostri sis advocata, Virgo puerpera.  
Tundentes pectora, Crimina confitentes, simus Altissimo.

### 19. Polorum Regina

Polorum regina omnium nostra  
Stella matutina dele scelera

R. I: Ante partum virgo deo gravida  
Ante partum virgo deo gravida

R.II: Et in partu virgo deo fecunda  
Et in partu virgo deo fecunda

R.III. Et post partum virgo mater enixa  
Et post partum virgo mater enixa

Semper permansisti inviolata  
Stella matutina dele scelera

### Uit de Codex El Escorial e.a. Cantiga 100:

### 20. Santa Maria strela do dia (de la Rey Alfonso el Sabio)

R. Santa Maria, Strela do dia, mostra nos via era Deus e nos guia.  
Ca veer fazelos errados que perder foran perpecados  
entender de que mui culpados son mais per ti son perdoados  
da ousadia que lles fazia fazer folia mais que non deveria. Refr.

Amostrar nos debes carreira por gaar en toda maneira  
a sen par luz e verdadeira que tu darnos podes senlleira,  
ca Deus a ti a outorgaria e a querria por ti dar e daria. Refr.

Guiar ben nos pod'o teu siso mais ca ren pera Parayso  
u Deus ten senpre goy' e riso pora quen en el creer quio,  
e prazer mia se te prazia que foss'a mia alm'en tal compannia. Refr.

*Uit het Moosburger Graduale:*

**21. Ite missa est**

Ite benedicti et electi, in viam pacis.  
Hostia pro vobis deo hodie missa est.  
Deo iam refecti et effecti membra Christi  
debitas concinamus condigne gracias.

**Colofon**

Idee en realisatie:	De Minderbroeders van Gravendam, Archeon
Artistieke leiding:	Broeder Carolus
Instrumentale begeleiding:	Helma Hartman
Opnames:	Live in Archeon door Fred van der Heiden, Audiovisueel Boskoop
Eindmix en Montage:	Flevo Productions Hilversum
Foto's omslagen:	George Terberg Studio Foto/Design bv.
Foto inlay:	Carel van de Camp
Kruis van San Damiano:	Jan de Frankrijker
Grafische vormgeving:	ilonah.nl
Drukwerk:	Klein Drukwerk, Alphen aan den Rijn
Marketing:	Vereniging Pax et Bonum. <a href="http://www.minderbroederskoor.nl">www.minderbroederskoor.nl</a>

© 2014 Vereniging Pax et Bonum